



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Institutiones Canonicae Sive Ius Ecclesiasticvm

Wiestner, Jacob

Monachii, 1705

XII. De Electione per viam Compromissi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62620](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62620)

ARTICULUS. XII.
De Electione per viam
Compromissi.

SUMMARIUM.

197. *Compromissio eligendi potestas in unum, vel plures, etiam numero pares,*
 198. *Sed unanimi tantum consensu transferitur,*
 199. *Aliquando absolute, aliquando limitate:*
 200. *Aliquando, ut sine consilio electio non subsistat.*
 201. *Et etiam per suffragia majora,*
 202. *Et secundum compromittentium voluntatem eligi debet,*
 203. *Et potest Prælati ex ipsis compromissariis:*
 204. *Qui, etsi sui electionem non inchoare:*
 205. *Ab aliis tamen inchoatam persicere potest.*
 206. *Compromissio electum compromittentes repellere nequeunt:*
 207. *Nisi sit indignus.*
 208. *Quo casu eligendi jus redit ad compromittentes:*
 209. *Et, si Juris terminus non observetur, devoluitur ad superiorem.*
 210. *Compromissum re integrâ,*
 211. *Majoris partis consensu, revocatur:*
197. **T**ertia electionis forma est Compromissum: quod illa celebrari dicitur, quando electores communi, imò unanimi consensu uni vel pluribus, sive de capitulo sive extraneis, clericis tamen & idoneis viris, committunt potestatem, nomine & vice omnium Ecclesiæ suæ viduatae præla-

tum eligendi, juxta *c. Causam 8. & c. Quia propter 42. pr. ibi, Vel saltem eligendi potestas aliquibus viris idoneis committatur, qui vice omnium Ecclesiæ viduata provideant de pastore. Quin ipsorum etiam compromissariorum personas nominandi, eligendique potestas aliquibus committi ab electoribus potest, c. In causis 30.*

Etsi autem fermè usitatum & consultum etiam sit; ut compromissarii sint numero impares, *c. Cum dilectus 32. & c. Cum in jure 33.* quod ita facilius obtineatur majoritas suffragiorum: compromitti tamen etiam in pares posse, apparet ex *c. Cum in veteri 52.* ubi compromissum in senos fuit, & *arg. l. Item si 17. §. 6. ff. de Recept. arbitr.*

Dixi autem, *Unanimi consensu;* 198. quia, unò electorum dissentiente, factum compromissum non valere, cum Glossa in *c. Quia propter cit. V. Vice omnium* tradit Panormit. in *§. Vel saltem cit. n. 2.* & Laiman in *c. In causis cit. n. 2.* id defuentes ex istius *c. Textu*, ibi, *A singulis de Capitulo statutum est.* Ratio est; quia ex una, in compromisso agitur de jure singulorum capitularium; eum quilibet illorum jus vocis habeat in electione aliisque actibus capitularibus; ex altera verò parte, eum de jure singulis competente, tollendo vel diminuendo agitur, omnium consensu & approbatione est opus, secundum *Reg. Quod omnes 29. & Reg. In re communi potior est conditio prohibentis, § 6. in 6.* utque jus suum in alterum transferat, cogi nemo debet, *arg. l. Sabinus 28. ff. Communi dividundo.*

Porro compromissum fieri potest, 199. vel absolute, vel limitate, Sylvester *V. Electio 2. q. 14.* Priori modo factò eligendi potestas in compromissarios translata ita censetur; ut quemcumque ido-

neum, etiamsi de gremio Ecclesie non sit, eligere vel etiam postulare possint, Glossa in c. *Cum dilectus* 32. V. De gremio. Posteriori modò, sive limitatè sit, cum eorum potestas restringitur ad eligendum, v.g. unum ex capitularibus, c. *cit.* & c. In *causis cit.* vel aliquem, requisitò consiliò certarum personarum, c. *Cum in veteri cit.* vel (quæ usitator compromissi forma est, teste Barbosa in c. *Si cui* 23. in 6. n. 2.) ad eligendum eum, quem, requisitis secretò singulorum capitularium votis, invenerint à majori parte capituli nominatum, c. *Cum dilectus cit.* quò posteriori modò factum compromissum non purum, sed aliquò modò mixtum est ex scrutinio; adeòque ex duplici forma electionis aliquid participat, licet minùs de scrutinio habeat, quàm de compromisso, ut colligitur ex c. *Cum expediat* 29. in 6. & ibi cum Glossa V. *Inquisitis* notat Joan. Monachus n. 9. & Laiman. in *fine*. Unde

200. Dubium oritur primò, an si compromissarii, adhibito aliorum consilio eligere jussi; eo non requisito eligant, electio subsistat. Ratio dubitandi est; quòd ad illorum consilium sequendum non adstringantur & contra id celebrata electio valida sit per tradenda *Lib. 3. tit. 10. n. 27.* Verùm, esto hoc ita sit, quando compromissarii consilium solum adhibere non etiam secundum id procedere jussi sunt: consiliò tamen ab ipsis non requisitò vel congruo tempore non expectatò, celebrata electio irrita declarata est à Gregorio IX. c. *Cum in veteri* 52. Ratio est; quia in ea à compromissariis observata non est forma compromissi; cum ipsis compromittentium vice eligendi potestas non simpliciter, sed cum obligatione adhibendi consilium fuerit commissa: formà autem non observatà gestus actus ipso Jure invalidus est, c. *Cum*

dilecta 22. juncta Glossa V. *Irritum*, de *Rescript.* cum eam non observans aliquid quàm commissum est, agere videatur, *Diligenter* 5. pr. ff. *Mandati*, Vivianus in c. *Cum in veteri cit.* §. *fin.* & Gonzalez n. 8. Neque refert; quòd consilium sequi necesse non sit; cum generaliter id petenti agendi libertas non auferatur: & ex consilio neminem obligari, Regula fit 62. in 6. quia illud adhibendi necessitas imposita est compromisso, ad consilium requirendum & congruo tempore expectandum compromissarios adstringentem; ut consulentium rationibus instructi electionis negotium maturius pertractent & vacanti Ecclesie de utilij pastore provideant. Si consilium propter eum, quo petendum est, absentiam peti nequeat, vel petatum denegetur, vel congruo tempore expectatum non obtineatur, sine eo procedi ad electionem à compromissariis possit, Panormit. in c. *cit.* n. 13. saltem, si electio non patiatur dilationem & ad compromittentes non sit recursus. Laiman in c. *cit.* n. 7. & Pirthing ad hanc *Rubr. n. 115. not. 5.*

Dubiù secundò est de compromissarii ita facto; ut compromissarii exquirunt singulorum votis eum eligant, in qua capitularium pars major, non respectu totius capituli, sed solum respectu majoris partii consentiat. Pro cujus certò valore militat arg. deductum ex c. *Causam* ubi compromissum est in personam vicariam, scilicet Episcopum. Cur non etiam compromitti possit, ut eligatur is, à quem plures, etiam comparatione aliorum tantum partium, consentirent? Sed hujusmodi compromissum non valere dicendum est, c. *Si cui* 23. in 6. juxta eam proinde dispositionem illegitima esse electio Titii facta à compromissariis, ex viginti Canonicis novem in ipsum Caium octo, & tres in Sempronium compromittentibus.

sentirent: etiam si secundum majora hujusmodi vota electionem ex compromittentium mente promulgassent.

Neque paritas est hujusmodi compromissi cum eo, quod eligendi potestas committitur uni superiori; quia, qui sic compromittunt, eligendi potestatem pro ea vice omnino transferunt in alium, scilicet superiorem: in casu autem proposito compromittentes eam à se non omnino transferunt; sed tantum ex Juris commissione constituunt unam vel plures personas, quæ suffragia colligant & procedant secundum formam *c. Quia propter cit.* ex cujus dispositione eligi debet is, in quem major respectu totius capituli & sanior pars consenserit, Joan. Monach. in *c. Si cui cit.* Laiman *ibid.* & Barbosa *n. 2.* & Fagnanus in *c. Licet 6. q. 45.* qui tamen *n. 57.* pro valida habet electionem per suffragia, etiam aliarum tantum partium comparatione majora, secutam ex compromisso in aliquos ita factò; ut eligant eum, in quem omnes vel major ipsorum pars, etiam tantum comparatione aliarum partium, v.g. in quem ex septem tres, cæteris suffragia in alios numero minori conferentibus, consenserint. Uti etiam ex compromisso, in unum v.g. ita factò, ut eligat eum, in quem capitularium pars saltem respectu aliarum major aliter quam per secreti scrutinii viam consenserit; quòd ex una, electione ex tali compromisso secuta, contra *c. Quia propter cit.* dispositionem nihil agatur: ex altera verò parte, sicut ex compromisso, quòd factum est in unum, ab isto electus: sic etiam ex tali compromisso electus perinde habeatur, ut qui capitularium omnium unanimi consensu est electus, hoc ipso; quòd in electionem ab eo faciendam omnes consenserint, arg. *c. Causam 8. & c. Cum dilectus 35.* Ita Fagnanus *l. cit.* secutus Glossam in *c. Si cui cit. V.*

Concilium: quacum in *c. cit.* Archidiaconus Anchoranus *n. 4.* Francus *n. 2.* & ipse etiam Fagnanus *l. cit. n. 58.* pro validis habent electiones ex compromisso per suffragia, etiam aliarum tantum partium comparatione majora, factas ad beneficia & dignitates inferiores, quarum vacatione Ecclesia non viduatur; quòd in electionibus ad eas *c. Quia propter cit.* electionibus ad Ecclesias viduatas præscripta dispositio non necessariò sit observanda.

Ne autem huic doctrinæ *c. Is si cui cit.* decisio adversetur, istà electionem ita cassatam, ajunt; quòd secuta sit ex compromisso Mixto, habente adjunctum scrutinium: quò celebrata electio, si per secreta & respectu totius Capituli majora suffragia non fiat, adverlaturo decreto Concilii Lateranensis, irritantis electionem per scrutinium; nisi partis respectu totius capituli majoris & sanioris, secreto & singillatim exquisitis votis, sit celebrata, *c. Quia propter cit.*

Dubium est tertio, an Compromissarii eligere possint aliquem ex se ipsis, Casu, quò ipso compromisso cavetur, ut ex certis personis aliqua eligatur, illò standum esse, receptum est apud omnes. Casu autem, quò per absolutum compromissum eligendi potestas in compromissarios transfertur sine ulla restrictione, id fieri posse, negat Glossa in *c. Cum in Jure 33. V. Ex se & Sylvester V. cit. 9. 17.* Sed melius in *c. cit.* affirmant alii cum Innocentio *n. 1.* & Panormit. *n. 4.* Ratio est; quia compromissarii, consensu & acceptatione compromissi, non fiunt conditionis deterioris; nemini enim officium suum damnosum esse debet, *c. Cum non deceat 30. in 6. & l. Si quis 7. ff. Quemadmodum testamenta aper.* Eset autem damnosum ipsis compromissariis,

Pp 3 si absolu

si absolutâ acceptatione compromissi voce passivâ privarentur. Unde

204. Dubium quartò est, an compromissarius votum dare valeat sibi ipsi. Non quidem, antequam alterius voto nominetur; id enim faciens, cum se ipsum principaliter & directè eligeret, tanquam ambiciosus, ideòque indignus, deberet repelli, *can. In scripturis 8. q. 1. Laiman in c. Cum in Jure cit. n. 2.* Sed aliis, suo suffragio eum prius nominantibus, accedendò: de quo dubitandi ratio est partim; quòd dignitatem & beneficium Ecclesiasticum nemo accipere possit à se ipso: sicut institutionem & ipsam etiam præsentationem, *c. fin. de Instit. & c. Per nostras 26. de Jure Patronat. & c. ut c. fin. cit.* dicitur, inter dantem & accipientem debeat esse distinctio personalis: partim verò; quòd suffragio suo aliam eligens testimonium perhibeat & judicet, eum esse dignum: judex autem vel testis in propria causa nemo admittatur, *l. Unica C. Ne quis in sua causa & c. l. Omnibus 10. C. de Testibus.*

205. Sed compromissariorum unum aliorum suffragiis, prius in se directis, consentiendò accedere posse; ut, si ex septem tres ipsum, tres alium nominent, ipse priorum numerum augere & sui electionem corroborare valeat, clarè decisum habetur *c. Cum in Jure cit & ibi cum Innocentio n. 1. Panormit. n. 5. & Sylvestro V. Electio 2. q. 18.* tradunt Laiman *n. 1. & Barbosa n. 2.* Ratio est; quia tali casu electus primò & principaliter non à se eligitur; cum electio ortum non habeat ab ipso, sed ab aliis, quibus consentiendò illam complet; quod citra ambitionis notam fieri posse, desumitur ex *l. Plane 4. junctâ Glossâ ff. Quod cujusque Universitatis*: ideòque in electione Imperatoris Electorum unusquisque se eligentibus consentire & majora facere potest,

juxta Aureæ Bullæ *cap. 2. § fin.* quod Rupertus, tribus Electoribus Ecclesiasticis accedentis, apud Trithemium in Chronico, & aliorum Impp. exempla comprobantur apud Hermet, *Fascicul. Jur. Publ. cap. 7. n. 42.*

Unde corrui ratio allata in contrarium; quia imprimis talis aliorum de se judicium & testimonium datum tantum acceptat, idque accedendo probat; & propterea accipientis potius quam dantis rationem habet. Deinde; quia aliud est eligere & præsentare: & aliud electioni vel præsentationi sui à coelectore vel compatrono facta, consentire: quorum Jura prius prohibent, posterius permittunt *cc.* in utramque partem allegari sicut aliud est vendere, & aliud consentire venditioni, *l. Aliud 160. ff. de R. J. & aliud, manumittere & aliud consentire manumissioni, l. si Pater 4. §. fin. ff. de Manumissis vindictâ & c.* qui illud acquirit, hoc potest.

Neque obstat; quòd tali accessione non sit locus in Scrutinio; quia in hoc suffragia debent esse secreta, *c. Quia propter 42.* & propterea in eo votum sibi dantis, cum se ab aliis electum non sciat, non tam sui electioni consentire, quam se principaliter & directè eligere, indubitata ambitionis vitio censeretur, *Ant. de Butrio in c. Cum in Jure cit. n. 35. Vivianus in c. cit. in fine.*

Neque Resolutionem convellit quòd electi consensus non augeat numerum votorum; quia hoc verum duntaxat est in electione per viam scrutini, peragenti juxta formam *c. Quia propter cit. præscriptam, & expolcentem*; ut singulorum vota dentur secretè & singillatim: nec etiam in electione per viam compromissi, cum enim in isto, speciali compromissionum commissione seclusa, compromissionum ad *c. cit.* formam non adstringantur, &

compromissariorum singuli vota sua dare ceteris audientibus possint, is in quem partis aliorum majoris vota collata sunt, consensu & suffragio suo numerum ultra medietatem augere, sui que electionem corroborare & complere citra ambitionis notam *c. Cum in jure cit.* permittitur, *arg. l. Planè cit.* Panormit. *in c. cit. n. 5.* & Passerin. *de Elect. cap. 22. à n. 41.*

Cæterum tria hic DD. notant. Primò compromissarium, si postquam alium nominavit, ab uno vel duobus subsequentibus nominaretur ipse, revocatò, quod priùs dedit, suffragiò se ipsum eligentibus accedere & numerum complere posse. Glossa *in c. cit. V. Consensuat* & Panorm. *n. 4.* Secundò, idem fieri posse in aliis electionibus & nominationibus, in quibus unus à pluribus non secretò, sed per vota manifesta ad dignitatem vel aliud beneficium Ecclesiasticum vocaretur, Imola *in c. cit. n. 5.* & Laiman *num. 2.* Tertio, quando in Ecclesia aliqua consuetudine receptum esset; ut, cum publicatò scrutiniò, apparet, in neminem majora respectu totius capituli consentire, alii majora respectu aliarum partium habenti palam accedant, electorem se eligentibus ita accedere non prohiberi, Laiman *de Elect. q. 88.* & Pirrhing *ad hanc Rubr. n. 218. in fine.*

206. Dubium quintò est, an à compromissariis electum compromittentes recipere teneantur. Si compromissi forma ab illis observata & electus idoneus est, eum necessariò recipiendum, liquet ex *c. causam 8. summa* & verbis, *Ipsam, quam, Episcopus, in quem compromissum erat, providerit, facias ab eis monialibus compromittentibus, in suam recipi Abbatissam.* Ratio est partim; quòd, si personam idoneam ullòque impedimento Canonico non laborantem, à compromissariis electam, recipere compromittentes

non tenerentur, eamque repellere liberè possent, compromissi exigua utilitas foret; cum ad terminandum electionis negotium & ad tollendas, quæ ejus occasione nasci solent, discordias vix aliquid conferret; quòd hæc ante exortæ personæ electæ refutatione facilè continuarentur: partim verò; quia, ex quo eligendi potestas translata est in compromissarios, ab his electus perinde habetur, ut electus ab ipsis compromittentibus; cum *Qui facit per alium, sit perinde, ac si faciat per seipsum, c. Ut fama 35. in fine de Sent. excom. & Reg. Qui facit. 72. in 6.* atque idcirco, sicut isti publicatò scrutiniò à sua, *c. Publicatò 58.* sic etiam à compromissariorum electione, sibi publicata, recedere & electum repellere non possint; quòd, sicut compromittentes suà publicatà, sic compromissarii, ipsorum nomine suffragantium electione publicata, officio suo functi, & electo de se celebratam electionem acceptandi jus sit acquisitum, Panormit. *in c. Causam cit. n. 1. ubi Barbosa n. 1. Vivianus pr. & cit Pirrhing num. 207. not. 4.*

Dubium sextò est de casu, quò ex tribus compromissariis duo eligunt indignum; hoc enim casu Panormit. *l. cit. n. 9.* eligendi potestatem ad tertium compromissarium solum devolvi, & factam ab eo digni electionem Jure subsistere vult, *arg. c. Congregato 53.* quò textu rata habetur electio digni facta à minori parte capitularium casu, quò pars major indignum scienter elegit. Sed aliter res se habet cum compromissariis, habentibus potestatem commensuratam mandato & intentioni compromittentium; qui, in tres libere compromittendò, electionem non nisi à tribus fieri, & prælatum majoris eorum partis, hoc est, saltem duorum consensu eligi voluisse censentur. Quare tali casu, sive scienter sive ignoranter

208. ranter indignus electus sit, eligendi potestatem ad capitulares compromittentes reverti, verius existimat Sylvester *V. Electio 2. q. 19. n. 25.* Ratio est; quia, postquam compromissarii officio suo, sive bene sive male, ut loquitur Glossa in *c. Causam cit. V. Recipi*, functi sunt, eorum potestas & officium cessat; ut eligere amplius nequeant sine nova commissione. Neque sic injuria fit parti minori; quia eligendi jus, quod habuerunt, ultra compromittentium intentionem non porrigitur.

209. Dubium septimò est, an, compromissariis intra trimestre vel semestre, *c. Ne pro de factu 41 hie & c. Nulla 2. de Concess. preb. non vac.* indultum, non eligentibus, eligendi potestas ad compromittentes seu Capitulum revertatur. Ratio dubitandi est; quòd, cum illorum scienter indignum eligentium culpa compromittentibus, qui indigni electionem ratam non habuerunt, non præjudicet, eis etiam præjudicare non debeat negligentia compromissariorum, intra tempus Jure præscriptum non eligentium. Sed inter hos casus latum est discrimen; cum, si id, quod ex officio alicui incumbit, committatur alteri, hujus sive commissarii negligentia noceat committenti, *l. Si procuratorem 8 §. 4. ff. Mandati*, ubi tutorem mandatarii negligentia non excusat: contra dolus mandatarii, cum in committendo consistat, committenti, qui extra culpam est, non obstat, *l. fin. ff. de Acquir. possess.* quia procurator domino in omittendo, non etiam in committendo nocet, ut Regulæ instar cum Hostiensis in *Summa hic n. 33.* observat Laiman in *c. Cum in jure cit. n. 2.*

Quare compromissariis, intra trium ad Cathedralem vel Regularem, & intra sex mensium spatium ad Ecclesiam Secularem Cathedrali inferiorem non eligen-

tibus prælatum, vacans prælatura ad eamve eligendi potestas, sicut si ultra menses illos electionem ipsum capitulum distulisset, pro ea vice ad proximum superiorem devolvitur, ex rescripto Bonifacii VIII. *c. Si compromissarius 37 in 6.* ut adeò compromittentes sibi impetare debeant, quòd in compromissarios non magis sollicitos & accuratos eligendi potestatem transtulerint illimitatam, eisque sibi à Jure indultum tempus totum contulerint ad eligendum, *c. cit. pr. ubi Glossa V. Transtulerint*, Vivianus *pr. & Laiman n. 1.*

Aliud esset, si à compromissariis intra Juris terminum electus idoneus electioni non consentiret, vel ei accepta ante confirmationem renuntiaret, vel diem clauderet extremum; his enim casibus eligendi potestas non ad compromissarios, utpote officio sibi commissum jam functos, sed ad ipsos compromittentes sive capitulum rediret, *c. Si compromissarius cit. junctâ Glossâ V. Renuntiare* ab isto eligendi potestas in compromissarios sic translata esset, ut semel vel lapsus eligere valeant, donec Ecclesiæ de prælato idoneo sit provisum, Glossa in *c. cit. V. Consentire.* Quò tamen casu compromittentibus vel compromissariis novum, & à negati consensus, renuntiationis vel obitus noti die computandum trimestre vel semestre ad eligendum contemnit perinde, ut si prælaturæ novæ revocatio inducta fuisset, *c. Si electio 26 in 1. Glossa in c. Si compromissarius cit. V. Liberè & cit. Pirthing n. 229. in fine.*

Dubium est octavo, an compromissarium, communi consensu factum, possit revocari. Non quidem post lapsum temporis, ad eligendum a capitulo prælati hoc enim lapsò per se expirat. Sed ante: quò casu opus est distinctione, ut enim res integra amplius non est, ad eligendum

ARTICULUS XIII.

De Electione Regularium ad Ordinis sui Præ-
laturas.

SUMMARIUM.

212. *In hac secreta vota exposcit Concilium Tridentinum :*
213. *Cujus decretum in Prælatorum Regularium duntaxat Temporalium,*
214. *Et Generalium Ordinum,*
215. *Abbatiam in titulum non obtinentium, electione est observandum.*
216. *Eodem decreto c. Quia propter 42. relatum constitutionem abrogatam, assertentium,*
217. *Et negantium DD. Opiniones ac fundamenta.*
218. *Verius Constitutio hac decreto illò non abrogata :*
219. *Ei tamen ex parte derogatum est, quoad qualitatem votorum.*
220. *Et electionem per quasi Inspirationem,*
221. *In suo verò robore relicta sunt specialia Jura Religionum :*
222. *In quarum electionibus juris apices minus scrupulosè attenduntur.*
223. *Publicatio nominum eligentium non semper :*
224. *Sed certis tantum casibus irritat Prælatorum Regularium electiones.*

H Actenus ex antiquo Decretali-
um Jure deducta, pleraque Regularium non minus quam secularium Prælatorum electionibus accommodata fuerunt ante S. Synodum

ad electionis substantialia jam sit processum, v.g. quòd compromissarii tractatum de persona ad prælaturam præ aliis idonea jam caperint? & tum revocationi locum esse DD. negant, propter claram decisionem c. *In causis 30. §. Quia verò ubi*, re non integrâ, facta revocatio pro nulla difertè habetur. Vel res adhuc integra, & non ultra Missam de Spiritu sancto, aliâque electionis preparatoria est processum? & tum compromissum revocari posse, communiter traditur argumentò à contrario ductò ex §. *Quia verò cit.* Non incongruè tamen hoc posteriori casu cum Glossa in §. *cit. V. Integra* & Panormit. n. 11. subdistinguit Laiman n. 7. Vel enim compromissum est principaliter in gratiam & honorem ipsorum compromissariorum, in quos pro ea vice liberaliter translata est facultas eligendi? & tum, re etiam integrâ, revocari verisimilius non potest; quia habet rationem alicujus donationis; quam, postquam acceptatione perfecta est, ita facile revocari non posse, patet ex l. *Sive 17. C. de Donat.* Vel compromissum est per modum alicujus mandati, commissionis aut delegaticnis eligendi in publicam Ecclesiæ utilitatem, quomodo in dubio fieri semper censetur? & tum vera est arg. à contrario ex §. *cit.* deducta communis doctrina; cum proprium mandato sit, ut re integrâ valeat revocari, §. *Resse 9. Instit. de Mandato C. c. Qui- enque 11. de ent. Excom. in 6.*

211. Ad revocationem autem hoc casu necessarius est consensus majoris saltem partis Capituli, arg. *Reg. Mutare 33. in 6.* quia cederet in detrimentum capituli, si id, quòd ab eo unanimitè omnium consensu constitutum est, unicus capitularis aut minor eorum pars contra voluntatem majoris posset retractare, Panormit. in c. *In casu cit. n. 16. Sibi Laiman n. 8.*